




29.

xv

377.





ORATIO  
DE VITA  
CLARISSIMI VIRI  
HIERONYMI SCHURF,  
FII I. V. DOCTORIS, RECITATA  
à D. MICHAELE TEVBERO DO-  
ctore, cum decerneretur gradus Doctoris, Docto-  
uiro, M. GEORGIO CRACOVIO  
Pomerano, additis quibusdam ritibus  
in illo actu obseruatis.  
\* \*  
✂

DIE SEPTIMO MENSIS  
Augusti. Anno 1554.

VVITEBERGAE  
IN OFFICINA HAERE-  
dum Petri Seitz.

BIBLIOTEKA  
TNP  
XVI, 6

ORATIO

DE VITA

ONRIPRIMIVIRI

HIERONIMUSCHVRE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE VITAE

DE SEPTIMO MENSIS

DE SEPTIMO MENSIS

VITAE

DE VITAE

DE VITAE

REVERENDISSIMO  
DOMINO, DOMINO MAR-  
TINO, ELECTO ET CONFIRMA-  
to Episcopo Caminensi, Domino  
suo clementissimo  
S. P. D.



Reuerendissime Do-  
mine Episcope, ac  
praesul dignissime,  
Orationem de uita,  
studijs, totoq; curri-  
culo Hieronymi  
Schurffij Iureconsul-  
ti praestantissimi, senisq; prudentissimi  
conscripta, a me uero in Gymnasio Vi-  
tebergensi publice habitam, tum quod  
ab authore luculenter eloquenterq;  
contexta est, tum uero etiam, quod ei-  
us Viri memoriam ad omnem poste-  
ritatem durare, Reipublicae interest,  
in publicum prodire, et quidem nomi-  
nis tui auspicio edere uolui, non eam  
solum ob causam, Ut debitam tibi rea-  
A ij ueren-

uerentiam ac obseruentiam publico alio  
quo documēto ac testimonio declararē,  
Verum multo magis, quod & decus  
omnium literarum intelligis, doctrina,  
pietate, sapientia, alijsq; uirtutibus ex-  
cellis, & hunc ipsum piæ memoriæ ue-  
nerandum senem, amanter complexus  
es. Accedit illud etiam, quod ego gra-  
titudinis meæ significationem præcep-  
tori piæ mortuo ostendere debui, cum  
sancta semper & honesta uideri debe-  
at discipulo persona Præceptoris, ut  
inquit. I. C. Magnum omnino hic  
uir Reipublicæ ornamentum ac præsi-  
dium fuit. Egregium ueritatis ac iusti-  
ciæ propugnaculum. Docuit ultra an-  
nos quinquaginta publice, & indefes-  
so studio ac labore non solum optimo-  
rum iuuenum ingenia excoluit, & ad  
Rempublicam prouexit, quod passim  
Aulæ & Academiæ in Germania te-  
stantur, Verum etiam in consulendo,  
ueritatis inuestigator, ac Clientum fi-  
delissimus Patronus fuit. Merito  
igitur multi Principes ac summorum  
ordinum homines, uelut parentem  
cum



eum coluerunt, consilijsq; suis ceu Nestorem aliquem & ducem praefererunt. Ita Imperator Iustinianus Ulpianum Iurisconsultum parentem suum & amicum in constitutionibus suis appellat, quod quidem & ipsi Imperatori gloriosum, & professioni Iuris inprimis honorificum est. Auxit eruditionem, auctoritatem, & nominis ipsius celebritatem, quod ad uiridem crudamq; (ut Poetae uerbis utar) senectam peruenit, in qua non minus, quam iuuenis laborum ac studiorum tollerans fuit. Nec parua foelicitas ducenda est (si tamē in hoc corruptissimo saeculo ita sentire licet) cum Deus aliquibus uitae spacia prorogat, ut iuuenes erudire & posteritati idoneos successores relinquere queant etc.

Celsus Iurisconsultus ubiq; adolescens appellatur. Papinianus, iuuenis decessit. Taceo reliquos legum cōmentatores, Bartolum & ingeniosissimos alios, qui uel in primo aetatis flore statim perierunt, uel breuiori spacio communi hominum societati inseruierunt.

runt. Sed desino in hanc sententiam  
plura dicere, cum uirtutum & laudum  
illius absolutum præconium oratio con-  
tineat.

Te uero Reuerendissime  
præsul, quanta possum, reuerentia oro,  
ut hoc dedicatæ orationis officium  
nostrum, boni consulas, & quod ha-  
ctenus non obscure præstitisti, me tibi  
addictissimum uicissim clementer  
complectaris & foueas. Vale.

Datum Vuitebergæ, die

7. Augusti, Anno

1554.

R. P. T.

addictissimus

Michaël Teuberus

I. V. D.

DECANVS COLLE  
GII DOCTORVM IVRIS

IN ACADEMIA VVITEBERGEN

si, Michaël Teuber Islebiensis,

Iuris utriusq; Doctor.



Vmen uitæ est doctrina per  
filium Dei prolata ex sinu  
æterni Patris, quæ ostendit  
uerum Deum, & adfert bo-  
na æterna, deinde monstrat etiam, quæ  
sit Lex Dei, & quis sit usus in hac ci-  
uili consuetudine, ut Paulus inquit:  
Lex est bona legitime utenti. Extrus-  
cta est autem ex ipso Decalogo do-  
ctrina Iurisconsultorum, quia Deus,  
qui uerissime custos est politicæ socie-  
tatis, uult gubernatores primum om-  
nium uocem esse Decalogi in genere  
humano, deinde & interpretationes  
quasdam addere, sed cõgruentes cum  
Decalogo, & ex eo bona consequen-  
tia extructas, qua in re ne aberrant, ip-  
se Deus mentes eorum sua luce regit.  
Ideo sapientia diuina inquit: Per me

A 4 Reges

Reges regnant, & Iudices iusta discernunt. Cum autem sit ingens bonum primum nosse ueram doctrinam de Deo, & de bonis æternis, deinde & doctrinam de ciuili uita, & scire ex quibus fontibus orta sit, et quare sit firma & non conturbanda, & quomodo usus eius Deo placeat, & huic uitæ salutaris sit, agamus gratias Deo fonti sapientiæ, quod de his tantis rebus recte erudimur, & petamus, ne lucem suæ doctrinæ & uera iudicia de doctrinarum generibus extinguere sinat. Ipsas etiam leges magis amemus, & maiore reuerentia eis obtemperemus, cum sciamus esse sapientiam Dei, & usum earum Deo placere. Consideremus etiam quanta miseria sit, ignorare ueram de Deo doctrinam, deinde & fanaticos furiosos circumferre de legibus, ut multi fingunt, esse laqueos callide excogitatos litigantium causa, aut mutabilia Principum arbitria esse, & pleraque esse tyrannica, multi totum ordinem politicum damnant. Denique multi impios & sediciosos errores de his tantis

tantis rebus habent, aduersus quos ani-  
mi ueris fundamentis muniendi sunt,  
& confirmanda est legum reuerentia  
ueris iudicijs, & quidem Deus oran-  
dus est, ut seruet ipse Politias, Leges,  
& disciplinam, & mentes nostras gu-  
bernet, ut ipsum uere celebremus, &  
ei in officijs honestis huius uitæ, pie &  
foeliciter seruiamus. Cum autem &  
legum ciuiliu custodia ordini Iuris-  
consultorum commendata sit, & man-  
datum sit eis, ut iusticiæ uocem profes-  
sant cæteris hominibus, & iusta ac ini-  
iusta discernant, & aut arment popu-  
los, aut iubeant arma deponere, mag-  
num omnino onus sustinent, propter  
quod gratitudo eis debetur, & utile  
est in eo ordine uiros sapientes, recte  
eruditos, & iustos esse. Quare nunc  
uiro clarissimo Georgio Cracouio de-  
cernetur gradus Doctorum Iuris, ut  
in ordinem nostrum transferatur.  
Nam & ingenio excellit, & recte eru-  
ditus est, non solum in iure, sed etiam  
in doctrina Ecclesiæ, & adolescentia  
eius exculata est ea Philosophia, quæ

amantibus ueritatem utilis est ad quæ-  
rendos fontes doctrinarum, & ad præ-  
stigijs refutandas. Et cum sciat pri-  
mum iusticiæ officium esse, Deum  
recte agnoscere & ei obedire, uera fi-  
ducia Domini nostri Iesu Christi De-  
um inuocat, & animi pietatem hone-  
sta morum gubernatione declarat. Ac  
non solum in docendo, sed etiam in  
foro diu iam & in iudicijs specimen  
prebuit honestum eruditionis & iusti-  
ciæ. Petimus igitur ut ad publici tes-  
timoniij renunciationem omnes Do-  
ctores & Scholastici huius Academiae  
conueniant, ac nobiscum precentur  
Deum, & ut semper Ecclesiam æter-  
nam sibi in his regionibus colligat, &  
seruet hospitia Ecclesiæ, nec sinat dele-  
ri doctrinam uitæ utilem, Leges, & dis-  
ciplinam, & ut regat totum eursum ui-  
tæ, studia & consilia Georgij Cracouij,  
& faciat eum organum salutare Rei-  
pub. & suæ animæ. Hæc ut faciat Deus  
æternus Pater domini nostri Iesu Chri-  
sti, propter filium, toto eum pectore  
oro. Datæ die quinto Augusti. Anno

1554.

# ORATIO.

**M**irum est, cum legum & totius ordinis politici manifesta sit utilitas, et pulchritudo, tamē omnibus temporibus fuisse multos, qui non tantū licentiæ cupiditate oderunt disciplinę uincula, sed etiam alios, quorū nonnulli prætextu sapientiæ, multi prætextu religionis, uociferati sunt, totum hunc ordinem honestæ & ciuilibus uitæ iniustam tyrannidem esse, sicut apud Platonem quidam legē nominat tyrannum. Et quod magis mirum est, cum uox diuina in Ecclesia maxime ornet leges & imperia, tamen fere omnibus ætatibus uagati sunt fanatici spiritus, qui omnes neruos honestæ societatis

tatis inciderunt, sustulerunt iura  
coniugij, & distinctionem domi-  
norum, damnauerunt magistra-  
tus, leges, iudicia.

Tales furores circumtule-  
runt statim post Apostolos tem-  
pore Adriani Imperatoris, hære-  
tici in multis Asiæ & Africæ lo-  
cis, Carpocrates, Martion, & de-  
inde Manes, qui, quia homines  
facile capiuntur opinione & spe  
diuini consortij, simulabant in su-  
is congressibus subitas conster-  
nationes, suspiria, lacrymas, &  
alios gestus arte fictos, ut persua-  
derent alijs, se cum Deo colloqui,  
& inuitarent stultos, ut sperarent,  
se quoque gustaturos esse illud di-  
uinum Nectar. Itaque & defini-  
tionem Iusticiæ acceptam alicun-  
de ex sermonibus non indocto-  
rum



rum hominum, detorserunt ad  
has suas imposturas: Iusticia est  
societas cum Deo, cū æqualitate.  
Societatem cum Deo interpreta-  
bantur esse illos adflatus, et æqua-  
litate deinde intelligebant, non  
ordinatam lege diuina æqualita-  
tem, sed confusiones coniugio-  
rum, Platoniam communicatio-  
nem facultatum, seditiones con-  
tra magistratus &c.

Tantos furores extitisse il-  
lis foelicioꝝ temporibus, cum  
adhuc uiuerent, qui Apostolos  
audiuerant ( Nam Polycarpus  
auditor Iohannis Apostoli uidit  
Martionem ) uix credibile esset,  
nisi has historias recitarent scri-  
ptores digni fide, Clemens, Iusti-  
nus, Epiphanius & alij. Sed proh  
dolor multa similia exempla uidit  
nostra

nostra ætas. Aliquoties a talibus impostoribus falso prætextu religionis motę sunt seditiones, & fuerunt multorum tragici exitus. Necessè est igitur sæpe moneri iuniores, de suis & publicis periculis.

Primum igitur agnoscant naturę humanę imbecillitatem, deinde & diabolorum insidias & rabiem. Natura hominum per se se impatiens est freni, ut mollissime dicam, & singuli nos ipsos amamus, nobis blandimur, non duriter repugnamus nostris cupiditatibus, & ægreferimus eas coherceri. Hic naturę morbus cum non reprimitur disciplina, & cum fit contumacia, diaboli occupant talium hominum impiorum & petulantium pectora, reuerentiam

uerentiam omnium legem eis ex-  
cutiunt, & confirmant ordinis  
contemptum & licentiæ amorem,  
& odio Dei & Ecclesiæ impel-  
lunt alios ad seditiones mouen-  
das, alios ad absurda & pernicio-  
sa dogmata spargenda, ut fiant  
maiores dilacerationes generis hu-  
mani, cædes & uastationes, & ut  
Deus contumelijs adficiatur.

Cum igitur certissimum sit,  
hos tantos furores in hæreticis &  
seditiosis hominibus a diabolo or-  
riri, primum uera doctrina diui-  
nitus tradita de politico ordine  
& cogitatione de fontibus legum,  
muniendi sunt animi, & discendū  
est, Legem esse Dei sapientiam,  
& in ipso Decalogo expressam,  
& sepe repetitam illustribus testi-  
monijs

monij in Ecclesia, & insitā a Deo  
humanis mentibus, ut testetur es-  
se Deum, ac ostendat qualis sit,  
uidelicet sapiens, uerax, beneficus,  
iustus, castus, uindex scelerum.  
Nec aliud est in tota mundi natu-  
ra illustrius testimonium de Deo,  
quam hi radij sapientiæ diuinæ in  
mentibus humanis, monstra-  
tes Deum, & discernentes hone-  
sta & turpia, & in cordibus do-  
lor, executor scelerum, tanquam  
carnifex ream naturam destruens.  
Hæc non esse casu ita nata mani-  
festum est.

Cum igitur in ipsis legibus  
Deum cernamus, ueneremur au-  
torem, & legibus propter De-  
um obtemperare studeamus. De-  
inde & precemur Deum, ut con-  
firmet animos nostros, ut hanc lu-  
cem

cem intuentes, agnoscamus eius  
sapientiam & iusticiam, & ipsi o=  
bediamus, & eum celebremus, nec  
sinat nos furis diabolicis impelli  
contra leges & honestum ordinē  
ab ipso conditum. Moueamur &  
pœnis, quæ ordine diuinitus san=  
cito sequuntur contumaciam, ut  
filius Dei inquit: Qui gladium  
acceperit, gladio peribit. Et de  
incestis libidinibus inquit uox di=  
uina: Omnis anima quæ fecerit  
has abominationes, peribit de po=  
pulo suo. Cum igitur certissi=  
mum sit, omnia atrocità scelera co=  
mitari pœnas, manifestū est, hunc  
ordinem diuino consilio regi &  
conseruari. Sic perpetua experi=  
entia etiam iudicare coëgit, ut o=  
stendit uetus dictum: Cernit De=  
us omnia uindex.

B Has

Has admonitiones sæpe res  
petimus, quia Deus uult nos hanc  
suam doctrinam sonare, & uobis  
utilissimum est, de rebus tantis re  
cte erudiri. Ac Deum precamur,  
ut in multorum pectoribus accen  
dat lucem, qua ipse recte agnosca  
tur, & sapientia eius monstrata in  
legibus consideretur.

Semper autē in Imperijs me  
diocriter constitutis certi fuerunt  
legum custodes, ut Athenis erant  
*νομοφύλακες*, Ita hoc tempore in  
Europa sunt Iuris Doctores, qui  
profecto magnum onus in Re  
publica sustinent. Hi controuersi  
as difficilimas in foro dijudicant,  
hi regunt grauissimas deliberatio  
nes in Curia, de bello & de pace,  
ac plurimū refert Reipublicæ, in  
hoc

hoc ordine gubernatores consiliorum esse uiros recte doctos, iustos, timentes Deum, sapientes & pacis amantes, & quorum sententias certum sit ex ueris legum fontibus sumptas esse. Tales habuimus recens in hac regione duos uiros excellentes eruditione, uirtute, sapientia, Doctorem Hieronymum Schursiū, & Doctorem Ludouicum Fachsum, qui & oracula fuerunt in difficilimis controuersijs, & docendo legum doctrinam ad posteritatem propagauerunt.

Talibus uiris cum orbata sit Respublica, & cum nos ipsi præceptoribus tantis orbati simus, grauem causam doloris habemus. Sed quia Deo obtemperandum est, & ipsi cum ad hanc Iuris ci-

uiliſ doctrinam adiunxiſſent ali-  
am ſapientiam maiorem, ſcilicet  
ueri Dei agnitionem et inuocatio-  
nem, alacres ex huius uitæ ærum-  
nis ad cœleſtis Eccleſiæ ſocietatem  
diſceſſerunt, dolor moderandus  
eſt, memoria tamen cum ſignifica-  
tione perpetuæ gratitudinis reti-  
nenda eſt. Ideo nunc breuiter hi-  
ſtoriam uiri Clariffimi Doctoris  
Hieronymi Schurffij recitabo,  
quæ multa exempla cõtinet, quo-  
rum conſideratio & excitare ad  
uirtutem aliquos poterit, & mul-  
ta de ſtudijs monere. Hoc offi-  
cium nos quidem præcipue ei de-  
bemus, qui fuimus ipſius audito-  
res, & uere hoc prædicare poſſu-  
mus, plurimum nobis formam  
doctrinæ, qua uſus eſt, & eius in  
iudicando prudentiam & rectitu-  
dinem profuiſſe, Ors



Ordinar autem a patria. In Heluetijs uetus familia est Schurfiorum, & cum alia sunt uetustatis testimonia, tum hoc quoq;, quod in Synodo Constantiensi fuit Doctor Schurfius inter delectos Germanicæ nationis ad præcipuas deliberationes, ut catalogus præstantium uirorum, qui in ea Synodo fuerunt, ostendit. Pater Medicus uixit in urbe, cui nomen est a Sancto Gallo. Mater honesta matrona fuit Bibracensis, cognata uiro excellenti sapientia & uirtute Gregorio Lamparter, Cancellario Ducis Vuirtebergensis. Hic Gregorius Doctorem Hieronymum propter memoriam paternæ amicitiae & cognationis familiarissime complexus est in conuentu Vuormaciensi, cum

ibi Gregorius esset inter Consilia-  
rios Caroli Imperatoris præci-  
puos, anno Millesimo, quingen-  
tesimo, uicesimo primo, ubi cum  
alijs Principum negotijs, tum ue-  
ro etiam de controuersijs Eccle-  
siæ sæpe cum eo Doctor Hiero-  
nymus collocutus est, & comme-  
morauit ei, motas esse controuer-  
sias a Luthero, non priuata ulla  
cupiditate, sed ut doctrina neces-  
saria illustraretur, & exposuit se-  
ni doctrinam de pœnitentia &  
gratuita reconciliatione, quam il-  
le commemorationem confessus  
est sibi gratam fuisse. Et erat is  
tunc Mercurino Cancellario Im-  
peratoris familiarissimus.

Natus patre Iohanne Schur-  
fio Medico, & matre Bibracensi

in opa

in oppido S. Galli, cum Gram-  
maticen in patria didicisset, Basi-  
leam missus est, ubi Dialecticen,  
quia excellens in eo ingenij recti-  
tudo erat, celeriter percepit, &  
motus admiratione sapientiæ &  
uirtutis Doctoris Crafftii Ulmen-  
sis, omiſſa paterna arte, Iuris do-  
ctrinæ se dedit. Multi enim ad-  
huc Basileæ & Ulmæ memine-  
runt, eximiam fuisse sapientiam &  
grauitatem in Crafftio, qui cum  
Ulmam uocatus esset, Hierony-  
mum pater in Academiam Tu-  
bingensem misit, in qua & ipse  
diu uixerat, & cum Nauclero &  
Summenhardo Theologo dul-  
cissima amicitia coniunctus erat.  
Ibi Iurisconsultos audiuit Ebin-  
gerum, qui diu postea uixit, &  
lector Iuris fuit annos tres & quin-

quaginta, quem & ipse Doctor Hieronymus narrabat minimum labyrinthorum in docendo adferre solitum, & fontes Iuris rectissime ostendisse. Ibi & Doctorem Lupffdich audiuit, cuius perspicuitatem in docendo etiam probabat. Simul autem Theologum Summenhardum audiuit, quem & alij Iuris studiosi audiebant, quia doctrinam Ecclesiae e-uoluere ex praestigijs inutilium disputationum, & ex superstitiosa interpretatione traditionum humanarum conabatur, & Gerfonis imitator erat.

Cum autem Illustrissimus Dux Saxoniae Elector Fridericus decreuisset Academiam in hoc oppido constituere, & laudarentur studia Academiae Turingenae

bingensis, uoluit hanc tuam ienou  
lam Coloniam esse harum dua  
rum, Lipsicæ & Tubingensis. Ac  
mandata dedit Staupicio, ut ex  
Tubinga lectores aliquot Iuris  
& doctrinæ Ecclesiasticæ & phi  
losophiæ adduceret. Hic igitur  
Iurisconsultos duos Vuolffgan  
gum & Vollandum ingeniosum  
uirum, qui & Cancellarius postea  
fuit Ducis Vuirtebergensis, ad  
duxit.

Vollandi ingenium magnifica  
ciebat Hieronymus, ideo inuita  
tus ab eo comes fuit huius longin  
quæ profectiois. Adducti sunt  
& alij lectores Philosophici, Si  
gismundus & Dionysius, qui po  
stea consenuit in monasterio Hir  
sangiensi, Sed de his nunc non di  
cam.

B. v

Dux

Dux Fridericus, quia sciebat  
in gubernatione opus esse cogni-  
tione Iuris, eius doctrinae studia  
maxime excitare cupiebat, & cum  
essent lectores eruditi, & audito-  
rum mediocris frequentia, ipse  
cum fratre interdum lectiones au-  
diebat. Erant igitur hic ea stu-  
dia ardentiora, & Hieronymus,  
quamvis auditor erat, tamen quia  
ingenio & cognitione Iuris ceteris  
auditoribus antecellebat, non tan-  
tum a lectoribus, sed etiam ab ijs  
uiris, quorum in aula praecipua  
erat autoritas, diligebatur. Itaque  
cum non amplius anno hic fuisset,  
ornatus est gradu Doctōris,  
& amico Vollandō redeunti in  
patriam in munere legendi successit.  
Et cum in lectionibus luce-  
rent vis ingenij & eruditio, alia  
quanto

quanto post Dux Fridericus eum  
deliberationibus adhibuit, & lo-  
cum ei tribuit in supremo Iudicio  
Ducum Saxoniae, quod semper  
Principes uoluerunt esse arcem  
Iusticiae in his terris, eamque ob  
causam ex Nobilitate & ex Do-  
ctoribus lecti sunt Iudices, quo-  
rum maxime probata est sapien-  
tia & integritas.

Habebat hic collegas non uul-  
gares, initio Vuolffgangum, de-  
inde & Henningum. Et consule-  
batur haec Academia a multis gen-  
tibus de grauissimis controuersi-  
is. Itaque Hieronymum & college,  
& negotiorum uarietas ac magni-  
tudo quotidie acuebant. Et ipse  
intuens Henningum, & attente  
considerans fontes sententiarum,  
quas

quas in deliberationibus dicebat,  
ita processit, ut postea ipsi nemo  
prælati sit. Magnum decus est  
& præsidium Reipublicæ talis  
Iurisconsultus, cuius sententijs  
tuto credi potest. Sic apud tres  
Electores Saxonicos uixit annos  
quadraginta duos, ut & studia  
doctrinæ Iuris & Iudicia præci-  
pue rexit, & plurimis consilijs  
adhibitus sit, in quibus uox eius  
salutaris fuit Reipublicæ.

Erudijt & scriptis posterita-  
tem. Extant enim eius Consilia,  
quæ ostendunt, non solum eru-  
ditionem ipsius & iudicij rectitu-  
dinem, sed etiam ueritatis & iusti-  
ciæ amorem in ipso perpetuum.

Quamquam autem magna est  
nego-



negociorum in illis Centurijs quę  
extant, uarietas, tamen lectio in  
primis utilis est ad iudicandas em-  
ptionum naturas, & ad discernen-  
das Emptiones ab usurarum pa-  
ctiõibus. Nullius enim extant  
scripta magis perspicua de con-  
tractuum distinctione. Et non so-  
lum hæc scripta, sed etiam uita  
eius ostendit, fuisse eum acerrimũ  
usurarum hostem.

Postquam autem ex hac Aca-  
demia propter bellum discessit,  
ab Inclyto Principe Marchione  
Electore in Academiam Franco-  
fordianam accersitus est, ubi an-  
nos septem magna sedulitate, &  
in magna auditorum frequentia  
propagauit Iuris doctrinam. Ac-  
cersitus autem ab Imperatore Ca-  
rolo Quinto, ut inter Iudices  
summi

summi Iudicij in hoc Germanico Imperio locum haberet, excusatione senectæ usus est.

Hactenus de eo studio dixi, quod professus est. Nunc de alijs eius uirtutibus dicam. Cum adolescens ad agnitionem & inuocationem Dei a patre adsuefactus esset, diligenter & quidem hortante patre, in Academijs Ecclesiæ doctrinam audiuit. Et quia sciebat in doctrina usitata multum esse inextricabilium disputationum, postquam Lutherus concionari in hoc oppido cœpit, studiosè eum audiuit, deinde & scripta legit, & cognitis incorruptæ doctrinæ fontibus, eam pie amplexus est, & de omnibus controversijs sæpe cum Luthero, cum  
Ams.

Amsdorffio, quos ut fratres diligebat, & cum alijs amicis eruditissime differuit, quia serio statuebat aliquam esse Dei Ecclesiam, & hanc solam esse, quæ amplectitur scripta Prophetica & Apostolica sine corruptelis. Legit igitur auide omnium temporum Ecclesiæ certamina, contulit antiquitatis Iudicia ad recentium seculorū & huius temporis doctrinam. Ac ualde lætabatur, uidens reipsa congruere harum Ecclesiarū doctrinam cum ueteri Ecclesia puriore, cum scriptis Augustini & alijs postea, in quibus signa eruditionis & pietatis conspiciuntur, quia singulis ætatibus aliqui fuerunt Euangelij testes.

Meminimus mirifice delectatum

tum esse dicto Bernbardi, in quo  
dicitur: Necessè est primo omni-  
um credere, quod remissionem  
peccatorum habere non possis,  
nisi per misericordiam Dei. Sed  
adde, ut credas & hoc, quod per  
ipsum peccata tibi quoq; donan-  
tur. Hoc est testimonium, quod  
perhibet Spiritus sanctus in cor-  
de tuo, dicens: Remissa sunt tibi  
peccata tua. Sic enim ait Apo-  
stolus: Gratis iustificari hominem  
per fidem. Talia dicta multa le-  
gens & audiens confirmabat in  
pectore fidem, & animi pietatem  
uera inuocatione Dei, & hone-  
stissima morum gubernatione o-  
stendebat.

De doctrina sæpe cum Du-  
ce Saxoniae Friderico Electore  
grauissime collocutus est. Ad  
Ducem

Ducem Saxoniae Iohannem scripsit confessionem, in qua diserte explicat propositionem, Sola fide iustificamur, & his uerbis usus est, Non intelligendam esse hanc propositionem, Fide nos iustos esse, sicut multi imaginabantur, Nouitate homines iustos esse, sed propter filium Dei Mediatorem, quem fide agnosci, & cuius promissionem fide accipi oportet. Erant igitur uerba in eius scripto: Non propter nostrum credere, sed propter filium Dei Mediatorem. Certamina etiam de doctrina cum Principibus uiris ei sepe fuerunt, & aliquos flexit ad doctrinae studiū, aliquos ad moderationem.

Nihil fingo. Sunt hæc nota præstantissimis uiris, qui adhuc  
C uiuunt,

uiuunt, Doctori Gregorio Pontano & Nicolao Amsdorfio, & alijs, cum quibus amanter & placide studio ueritatis de tota Ecclesiae doctrina sapissime colloquebatur.

Doctrinae summam probabat, quanquam uolebat quaedam dici minus horride, quaedam etiam fieri moderatius & a populo & ab alijs, ut erat grauis, constans & disciplinae amans. Sed nuncq̄ discessit a doctrinae puritate, & uere imago erat morum ipsius dictum Sophoclis: Talis est uir bonus, semper est sibi similis.

In conuentu Vuormatiensi, cum Lutherum audirent Imperator Carolus & senatus Imperij, ipse dicenti aderat, & palam cum  
eo de

eo deliberabat, & ostēdebat, se eius  
us doctrinam amplecti. Postea fu-  
it gubernator inspectionis Ecclesiarum  
in ripa Salæ. Cum enim  
Monetarius & Pelargus turbas-  
sent Ecclesias, & misera plebs ali-  
cubi seditiones mouisset, sedatis  
tumultibus Princeps optimus Io-  
hannes uoluit inspicere Ecclesias.  
Eam rem necessariam commen-  
dauit primum Doctore Hierony-  
mo. Id consilium honestum & pi-  
um profuisse Ecclesijs, foelix euen-  
tus ostendit, ut multi norunt. Ab-  
horrebat enim a fanaticis & fedi-  
tiosis opinionibus, & uolebat Ec-  
clesias recte doceri, & pastoribus  
honestas mercedes constitui, qua  
de re Dux Iohannes & liberaliter  
mandata dederat. Meminimus  
etiam cum donationum confir-

matio peteretur, citata hac sententia  
Esaia: Et reges erunt nutritores  
tui, cum Princeps ualde delectatus  
esset ea sententia, statim impetratam  
esse confirmationem.

Coniugem habuit honestissimam,  
cum qua summa concordia & caste  
uixit annos amplius quadraginta.  
Ex hac nati uiuunt adhuc filius &  
filia matrona honestissima, quæ  
uidui patris œconomiam uidua  
gubernauit. Erga pauperes  
beneficentiam liberaliter exercebat.  
In tolerandis iniurijs dolorem &  
cupiditatem uindictę propter  
publicam tranquillitatem & propter  
Deum reprimebat. Denic̄q; mores  
eius exemplum esse uiri honesti,  
pij, & officiosi poterant. Talis  
cum fuerit, &



rit, & cum præclare meritis sit de  
nobis & de Republica, decet nos  
eius cum significatione gratitudi-  
nis recordari. Et exemplum mul-  
tis utile est. Debetur gratitudo  
singulis, qui suo loco benefaciunt  
generi humano. Ducibus, qui ar-  
mis repellunt hostes, & pacem tu-  
entur. Senatoribus, qui regunt  
ciuitates & hominum commertia,  
& iuuant homines ædificijs. Sed  
cogitemus maiora esse beneficia,  
propagationem ueræ doctrinæ  
de Deo & de legibus, iustam gu-  
bernationem Iudiciorum, & con-  
silia salutaria in Republica. Ac  
posteritati non solum proderunt  
scripta, que reliquit Doctor Hie-  
ronymus, sed multo magis audi-  
tores, qui uoce ipsius eruditi acce-  
pta doctrinæ semina alijs tradent,

& quorum nunc aliqui Deo iu-  
uante magnos labores in Reipub-  
licæ gubernatione fideliter susti-  
nent.

Domestica consuetudo mul-  
tis annis fuit clarissimo uiro D.  
Ulrico Mordisen cum eo, quem  
quidem ut filium dilexit, & qui ui-  
cissim præceptorem amauit, tan-  
quam patrem. Vixit apud eum  
& uir clarissimus Doctor Mel-  
chior Kling, qui ambo in hac ui-  
cinia quos labores diu iam susti-  
neant, non ignoratis.

In Academia ad Viadrum  
Iuris lector & interpret est uir  
Clarissimus Doctor Iohannes a  
Borck Bremensis, quo multis an-  
nis nemo fuit Doctori familiari-  
or. Sed longum esset enarrare  
omnes.

In exa

In extremo agone etiam, ingressus annum quartum & septuagesimum, fidei robur ostendit, ardentissimis uotis Ecclesiam & sese & suos Deo commendauit, sæpe repetens & Symbolum & precationem, ac diserte testatus est, se hunc uerum Deum inuocare, qui se patefecit misso Filio, & se toto pectore adfirmare, hanc unam de Deo doctrinam ueram esse, quæ in libris Prophetis & Apostolicis, & Symbolis scripta est, ac sæpe expressa personarum mentione dixit: Omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cæli & terræ, angelorum & hominum, & aliarum creaturarum omnium, cum Filio tuo coæterno, & Spiritu sancto oro, miserere mei pro-

C 4 pter

pter Iesum Christum filium tu-  
um, crucifixum pro nobis & re-  
suscitatum, sanctifica me Spiritu  
tuo sancto. In manus tuas com-  
mendo spiritum meum. Inter sa-  
lia uota cum fiducia filij DEI  
& spe mens erecta non obscure  
ostenderit, se desiderio consuetu-  
dinis Christi & coelestis Ecclesiae  
adfici, anima eius hoc mortali car-  
cere placide liberata est. Nos me-  
moriam & uirtutem ipsius & do-  
ctrinae retineamus, & honestissi-  
mos mores eius imitemur, & se-  
quamur in studio iudicium eius,  
quaeramus doctrinae fontes, nec  
stulta curiositate adplaudamus in-  
eptis illis, qui nunc iactitant, se no-  
uam formam doctrinae iuris mon-  
straturos esse, quorum insulsita-  
tem & stultitiam ipse omnium  
maxime detestabatur.

Oro autem filium Dei Domi-  
num nostrum Iesum Christum,  
ut semper in his regionibus Ec-  
clesiam sibi colligat & eam guber-  
net, & protegat eius hospitia, &  
non sinat deleri honesta do-  
ctrinae studia & disci-  
plinam.

**DIXI**

**C S** Petitio

PETITIO CLARIS

SIMI VIRI D. DO

ctoris Ioachimi à Beust,

✱

**E**Ximie D. Doctor, Decane & Collega honorande. Doctissimus & ornatissimus uir M. Georgius Cracouius, quem coram cernimus, Compater meus carissimus; per totos quindecim annos in hac celebri & Christiana Academia primum mansuetioribus Musis strenue operam dedit, deinde & LL. nostris gnauiter insudauit. Cuius insignem eruditionem & in priuato examine & in publica disputatione, quod & tu nō ignoras, satis perspeximus. Multis enim ille albis, ut aiunt, equis pulchre præcurrit. Huius M. Georgij Cracouij egregiam uirtutem, præclaram eruditionem, & summam ingenij sui industriam & dexteritatem hoc in loco ideo parcius attingo, ne mihi accidat, quod quondam illi accidisse legitur, qui cum familiarem suum apud Lyfandrum laudibus ueheret, &

ret, & aduersus obtreſtatores tuere  
tur, Equum inquit Lyſander domi ha  
beo, etiam te tacente, ego ſcio, igna  
uis ne uel ſtrenuus ſit. Hoc reſponſo  
ſenſit optimus uir, ueram uirtutem  
laudibus humanis non ægere, cum ip  
ſa ſemper ſecum ducat ſuam laudem  
& decus.

Cracouiũ uita & eruditio non tan  
tum tibi, ſed & toti Collegio noſtro,  
etiam me tacente, & probatiſſima eſt  
& perſpectiſſima. Quo ſit, ut pulcher  
riſſima quæ in eo eſt uirtus apud te meo  
non ægeat præconio. Is nunc tanq̃  
probatuſ digladiator rude donari cu  
pit. Quare cum Senatuſ Collegij no  
ſtri graui cenſura & uno ore eum dig  
num iudicarint, cui graduſ Doctora  
tuſ in utroq̃ Iure tribuatur, ego te no  
mine totiuſ Collegij noſtri & reueren  
ter & amanter oro, ut huic M. Geor  
gio Cracouio concedaſ licentiam &  
facultatem ſumendi ampliſſimum gra  
dum Doctoratuſ in utroq̃ Iure. Pro  
quo beneficio tu tibi illum perpetua  
obſeruantia & animi gratitudine de  
uinciaſ.

uincies, & toti Collegio nostro rem  
gratam facies.

Oro autem filium Dei, ut huius  
Cracouij omnes actiones, quas scio esse  
se honestissimas, ad nominis sui gloria  
am & Reipublicæ utilitatem diri  
gat, lucem Euangelij sui in his  
terris, hanc scholam simul  
& nos omnes clemen  
ter conseruet &  
protegat.



# RESPONSIO

Decani.

**M**Anifestum est, necessariam esse  
Reipub. conseruationem do-  
ctrinæ Juris, quare honesti Viri qui  
eam recte didicerunt ornandi & pro-  
uehendi sunt. Cum autem & nos  
fiducia auxiliij diuini nostrum officij  
um deceat, labores nostri in hac do-  
ctrinæ propagatione nequaquam  
omittendi sunt. Quare Clarissime &  
nobilissime Domine Doctor, collega  
obseruandissime, quod petis huic ho-  
nesto & docto uiro, Georgio Craco-  
uio Magistro, postq̃ publice & priua-  
tim eruditionis & sui profectus spe-  
cimen præbuit, tribui licentiam & fa-  
cultatem, ut amplissimus gradus Do-  
ctorum, in utroq̃ iure ei decernatur,  
neq̃ ipsi, neq̃ Reipublicæ, in re tam  
honestâ, & communi hominum socie-  
tati necessaria, officium meum deerit.

Tibi itaq̃ Georgio Cracouio  
Magi

Magistro autoritate publica qua iam  
in praesentia fungor, tribuo licentiam  
& facultatem, ut orneris amplissimo  
gradu Doctorum in utroque Iure, ac  
Deum fontem omnis sapientiae & ius-  
ticiae oro, ut tua consilia & studia,  
Ecclesiae, Reipublicae & tibi sint pro-  
spera & salutaria. Simul etiam ratione  
officij mei te adhortor, ut in omnibus  
deliberationibus propter gloriam Dei,  
& salutem publicam, ames ueritatem,  
iusticiam & pacem. Et per totum uitae  
tuae curriculum semper sis memor  
Regij praeccepti, Non hominis inquit,  
sed Domini iudicium exercetis, quid-  
quid iudicabitis, in uos redundabit,  
sit timor Dei uobiscum, & cum dili-  
gentia cuncta facite. Non sinas obrui  
ueritatem sophismatum praestigijs,  
nec ames calumnias. Nam legum &  
iusticiae decreta sunt uox Dei, quam  
uult Deus normam esse uitae, & com-  
mune uinculum humanae socie-  
tatis. Haec dona Dei reue-  
renter tuearis .

DIXI,

# RITVS PROMO- TIONIS.

**E**Go igitur autoritate publica, qua  
etiam fungor, te Georgium Craco-  
uium Magistrum creo & promoueo  
Doctorem in utroq; iure, Et te am-  
plissimo gradu Doctoris ornatum esse,  
sententia & grauissimo iudicio totius  
Collegij nostri renuntio, In nomine  
Patris, Filij, & Spiritus sancti. Et at-  
tribuo tibi omnia priuilegia, quibus  
hic ordo a summis Principibus, singu-  
lari consilio ornatus est.

## CATHEDRA ET LIBRI.

**E**T quia uetustas ut talis renuncia-  
tio esset celebrior, addidit signa  
quædam, quæ uoluit esse non ineptos  
ludos, sed utiles commonefactiones,  
consideranti quid reuera significant,  
in his quoq; morem usitatum serua-  
bo. Ac

Ac primum te in hanc honestam  
Cathedram colloco, & librum tibi ape-  
rio, quo gestu scitote, res grauissimas  
significari. Taxantur & damnantur  
duæ stultissimæ opiniones. Prior est  
quod uociferantur aliqui stolidi & Tri-  
bunitij homines, Nihil opus esse scri-  
pto Iure, & doctrina Iurisconsulto-  
rum, ac potius res iudicandas esse  
iudicum ingenijs, sine scripto Iure.  
Hanc amentiam hic ritus, quo liber  
proponitur & aperitur, reprehendit,  
ut significetur, Velle sapientissi-  
mos gubernatores, ut his libris ac  
scripto Iure uita gubernetur, & con-  
trouersia iudicentur, non ex arbitrijs  
aut cœcis adfectibus potentum, aut  
calliditate Iudicum. Agnoscamus er-  
go uoluntatem Dei, qui & scriptum  
Ius dedit suo populo, & in duabus ta-  
bulis summa præcepta suis digitis  
inscripsit, uult igitur esse scriptas le-  
ges, Et gratias ei agamus, quod nobis  
dedit Ius sapienter scriptum, congru-  
ens ad illa præcepta, quæ digitis filij  
Dei in duabus tabulis his scripta sunt,  
Et

Et hunc thesaurum posteritati conser-  
uemus.

Deinde altera opinio taxatur,  
hominum arrogantium, qui putant le-  
ges posse intelligi sine uoce docenti-  
um, sine collatione, & eruditorum ac  
peritorum enarratione, Et lectis dua-  
bus aut tribus pagellis, & emptis uo-  
cabularijs & repertorijs existimant, se  
esse Iurisconsultos, Sceuolas, & Vi-  
pianos. Vt autem commonefiant  
alij, necessariam esse uocem docenti-  
um, Ideo hic ritus collocandi in Ca-  
thedram institutus est. Magna sapien-  
tia est uidere fontes legum, scilicet ra-  
dios sapientiæ Dei, transfusos  
in mentes humanas, quæ dicuntur  
leges naturæ immutabiles, et æternæ,  
et considerare quibus demonstrationi-  
bus, & argumentis extructæ sunt se-  
quentes leges, ex his primis radijs di-  
uinæ lucis. Item, intelligere seriem,  
& quasi ideam totius ædificij, quod a  
personis ad res, ad contractus, ad ob-  
ligationes, ad Iudicia, ad actiones, ad  
pœnas procedit, qua in re ipse ordo in  
D                      singu-

singulis, testimonium est de Deo, et  
multæ sunt imagines iusticiæ Dei.  
Deniq; semper in imperiis certi fue-  
runt interpretes Iuris, qui alios eru-  
dierunt. Hunc morem, ut Deus inter  
nos quoq; conseruet optamus. Et  
non putent Iuniores, se sine uoce do-  
centium posse Iurisconsultos fieri.  
De his tantis rebus, uidelicet de scri-  
pto Iure, & de uoce docentium com-  
monefaciunt nos hi ritus. Cum autem  
sciam, te recte didicisse integram Iu-  
ris doctrinam, tribuo tibi autoritatem  
respondendi de Iure, & alios docen-  
di.

## PILEVS.

**F**uit & uetus insigne docentium  
in Ecclesia Pileus, qui significat,  
nos non solum hanc politicam sapien-  
tiam scire oportere, sed etiam Ecclesiæ  
doctrinam, & certamina ac decreta de  
dogmatibus. Ac uetustas proprie no-  
minauit Canones, Regulas fidei, id  
est,

est, Decreta & sententias de contro-  
uersijs doctrinae.

Scio autem te semper uera pie-  
tate inquisiuisse ueterem Ecclesiae do-  
ctrinam, & recte inuocare Deum.  
Ideo & spero tuam uocem Ecclesiae  
utilem fore, & ut te regat filius Dei  
in controuersijs doctrinae iudicandis  
opto.

## ANNVLVS.

**T**Ribuo tibi etiam Ius aureorum  
annulorum auctoritate publica,  
quo ritu notum est tribui dignita-  
tem, & collocari idoneos homines in  
superiorem ordinem, qui Rempubli-  
cam uel consilio, uel armis protegat.  
Simul etiam dato annulo iusticiam tibi  
desponderi scias, quam nunquam  
deseres.

Olim fuit Annulus signum in-  
genuitatis, Nunc mos ad Scholam  
translatus est, ut grabibus ornati testi-  
monium libertatis haberent, Sed hic

ritus Doctores de uera libertate ad  
monet, quæ non est effrenis petulantia  
quodlibet dicendi, sed est constantia  
modeste & grauius dicendi ueras,  
iustas, & a Deo traditas sententias.  
Confirmandum est igitur pectus his  
excellētibus uirtutibus, amore ueri-  
tatis, & constantia, ne metu aut ad-  
sentatione inflectamur ad iniustas  
uoluntates potentum, & corruptelas  
ueritatis fucosa specie ornet, quæ mol-  
lities animi & leuitas sæpe horribiliter  
nocuit Ecclesiæ & imperiis. Con-  
stantiam igitur in confessione uerita-  
tis, & in Ecclesiæ doctrina, & in ciui-  
libus negotiis propter gloriam Dei, &  
publicam salutem præstemus, quia fu-  
cosa consilia nunquam sunt firma, Sed  
tempus ueritatem in lucem profert,  
& refutat mendacium. Sed hæc non  
sunt sine magnis perturbationibus  
Reipublicæ.

OSCULVM.

HOC



**H**Oc etiam complexu te admoneo  
de præcipuo fine & officio nostri  
ordinis. Eò consilia nostra dirigen-  
da sunt omnia, ut iuste iudicatis con-  
trouersijs, publica pax sit in societate  
hominum, ut honesti cœtus esse pos-  
sint, & Deum recte celebrare, sobo-  
le educare & erudire ad agnitionem  
Dei. Sic te Respublica complecti-  
tur & ornat, ut uicissim ipsi opem  
feras in tuenda pace. Procul igitur ab  
omnibus absint illæ cupiditates, quæ  
sunt facès dissidiorum publicorum &  
bellorum. Non assentatione incen-  
dantur odia Principum, non ambitio,  
æmulatio, aut auaritia ullos moueat,  
ut alant partium dissidia, & distra-  
hant factionibus ciuitates, ordines &  
gentes. Utinam moueremur om-  
nes tristissimis comminationibus, quas  
uox diuina discordiarum auctori-  
bus minatur. Nam scriptum est  
apud Salomonem: Sex ista odit Do-  
minus, & septimum abominatio est  
animæ eius, oculos superbos, linguam  
fallacem, manus effundentes sangui-

nem, cor machinans fraudes, pedes pro-  
perantes ad nocendum, testem men-  
dacem. Septimum uero, quod est  
abominatio coram Deo, est faciens  
discordiam inter fratres.

Contra uero dulcissima promissio  
tradita est ihs, qui publicam concordiam  
tueri student: **Beati pacifici,**  
quia filij Dei uocabuntur.

Postremo scimus uitam et sapi-  
entiam hominum non esse foelicem, nisi  
Deo nos gubernante, & iuuante, &  
quod clementissime praeeperit Deus,  
ut ipsum inuocemus, & auxilium in-  
uocantibus promittat, sicut scriptum  
est: **Petite & accipietis, Oro Deum**  
**aeternum patrem Domini nostri Iesu**  
**Christi, conditorem coeli & terrae, &**  
**hominum, una cum filio suo coaeterno**  
**Domino nostro Iesu Christo, & spiritu**  
**Sancto suo, fontem sapientiae, iusticiae**  
**& pacis, ut te gubernet, & faciat te**  
**organum salutare tuae animae & alij.**  
**Conseruet etiam honesta studia, ac**  
**fem**

semper in his regionibus propter filium  
Dominum nostrum Iesum Chris-  
tum, & per eum colligat æternam  
Ecclesiam, & eam luce suæ doctrinæ  
& Spiritu sancto regat, & protegat  
hæc hospitia Ecclesiæ, propter suam  
gloriam, sicut inquit: Propter me, pro-  
pter me faciam, ut non blasphemem.

Ah Domine Iesu Christe, fili Dei  
uiui, crucifixe pro nobis, & resuscitate,  
sicut precatus es pro nobis, & semper  
hanc precationem coram æterno patre  
recitas, Pater sanctifica eos in ueritate  
tua, Fac ut unū sint in nobis, sit dilectio  
tua in eis, qua me diligis, Te oro, ut  
semper tua intercessione nos iuues  
& colligas & protegas semper  
inter nos Ecclesiam, & nos  
in ea clementer ser-  
ues, Amen.

DIXI.

D 4

Quæstio

QVÆSTIO A PV  
ero proposita.

**N**on est ætatis nostræ, de causis  
disputare eorum rituum, quos  
approbari a senibus uidemus, quo-  
rum est excellens sapientia & uirtus,  
Sed nos obedientia decet.

Quare & ego, ut patri meo carissi-  
mo obediam, huc ad dicendum accessi.  
Ac fortassis consilium illorum, qui  
hunc morem instituerunt, fuit, adoles-  
centulos hic aliquid dicere, ut admira-  
tione horum spectaculorum excitati,  
discerent artium & uirtutum nomina,  
& magis delectarentur Studio. Exi-  
stimo etiam uoluisse eos adsuefacere  
nos, quanquam nondum intelligimus  
uitæ pericula, ad comunem precatio-  
nem, quæ fit hoc loco, ut studia dis-  
centium sint salutaria Reipublicæ.

Primum igitur gratias ago filio  
Dei Domino nostro Iesu Christo, cru-  
cifixo pro nobis & resuscitato, & col-  
ligenti

Ugenti Ecclesiam in genere humano,  
quod & inter nos tibi hæreditatem  
colligit, & nos hæctenus clementer  
protexit, & quod meum carissimum  
patrem feruat incolumen, inter tantas  
• procellas, & quod meum affinem Do-  
ctorem Georgium multis uirtutibus  
ornauit. Deinde oro ipsum Filium  
Dei, Dominum nostrum Iesum Chri-  
stum, ut regat totum cursum uitæ  
mei affinis Doctoris Georgij, & nos  
omnes protegat & gubernet.

Nunc quæstionem uisitato more  
proponã, de qua nos tempus commo-  
nefacit. An Laurentius debuerit  
mortem potius uelle, quam tradere  
Ecclesiæ pecuniam Imperatori? Ac  
primum argumentor ab exemplo.

Rectius erat Iudæos didrachmon  
Romanis soluere, quod etiam tem-  
pli erat, quam uelle totam gentem  
deleri.

D 5 Ergo

Ergo & Laurentius poterat pecuniam tradere.

Item, Rectum est Latroni pecuniam potius quam uitam tradere.

Postremo & hoc disputari potest, Omnia esse Imperatoris, quare et pecuniam Ecclesiæ auferre potuit.

Sed Spiritus sanctus in Laurentio testimonium contrarium ostendit. Aliter Romani, Aliter Diocletianus petiuit Ecclesiæ pecuniam. Romani concedebant Autonomiam genti Iudaicæ in cultibus. Diocletianus ideo postulabat pecuniam, ut deleret Ecclesiam. Nec ulla atrocior seuitia fuit omnibus seculis in genere humano, quam horum tyrannorum Maximiani, Diocletiani & Maxentij. Secuta est igitur imperij ingens mutatio, & postea Gotthicis bellis Romana Monarchia dilacerata est.

Hoc igitur argumento confirmatus restitit Tyranno Laurentius.  
Quam

Quamquam a latrone redimi uita potest priuata pecunia, tamen publica non est transferenda. Laurentio fuit commendata publica pecunia. Iustissime igitur fecit, quod mortem perferre maluit, quam Tyranno cedere. Multæ hic grauissimæ quæstiones continentur, Nam & hoc tempore alij alio consilio redditus Ecclesiarum occupant.

Peto autem, ut tu, Clarissime Domine Doctor, & affinis carissime, nobis has quæstiones explices, quomodo omnia sint Imperatoris, & quæ debeat esse Ecclesiarum defensio.

Maxime enim decet iuris & iusticiæ Doctores monstrare alijs, quæ officia Ecclesiæ Dei debeantur.

DIXI.

GRA

# GRATIARVM

## ACTIO.

**S**I quanta sunt huius celeberrimi  
Gymnasij, & præceptorum erga  
me merita, tantam in hac oratione  
animi mei gratitudinem, dicendi uber-  
tate, beneficiorumque amplificatione  
declarare possem, non postremam fœ-  
licitatis partem, nec paruam ueræ lau-  
dis ac commendationis gloriam me  
assecutum arbitrarer. Ea enim de-  
mum meo quidem iudicio uera laus  
est, beneficiorum perpetuam memo-  
riam conseruare, & benemerentibus  
gratiam rependere, nec (quæ huius  
corruptissimi seculi consuetudo est)  
merita detrimentis, beneuolentiã odio  
& inuidia, obsequium maleuolentia  
& insolentia compensare.

Quia uero magnitudo beneficio-  
rum non solum exiguam illam dicendi  
facultatem, Verum etiam ostenden-  
dæ & significandæ gratitudinis uo-  
luntas



Intemperantiam meam uincit, confido qualemcumque non ingratae mentis testimonium uobis non displicituram.

Primum autem gratias ago Deo aeterno patri domini nostri Iesu Christi, Quod in tanto Mundi furore, tamque seua tempestate, quae non solum priuatorum fortunas euertit, Verum etiam potentissimos illos orbis terrarum uertices absorbet, adhuc aliqua literarum studia seruat, doctrinae coelestis lumen deleri non sinit, & seuerus custos est Legum, communisque hominum societatis.

Neque enim fieri posse statuendum est, ut unum momentum tota haec Mundi machina daret, aut aliqua Reipublicae forma maneat, nisi singulari Dei protectione haec miserabiliter quassata nauicula, in qua una omnes sedentes periclitamur, contra Diaboli & organorum illius infinitam rabiem defenderetur.

Nullus uerae religionis cultus, nullum ius, nullae Leges, omnia denique horrendum Chaos futura essent, nisi

nisi unicus iste rerum sator, generisque  
humani conditor, tumultuantium &  
furentium agminum crudelitatem  
frenaret & compesceret.

Agnosco etiam singularem Dei  
bonitatem, quod nos exercituum ca-  
stris et discursationibus undequaque cin-  
ctos quasi, clementer tuetur, & cæcum  
docentium ac discentium hoc in loco,  
qui multorum insidijs, & calumnijs  
non aliter ac caput aliquod Medusæ  
omnium odijs dignum, petitur, collis-  
git.

Ago deinde gratias Illustrissimo  
Principi Electori Augusto etc. D. no-  
stro clementissimo, qui liberalitate &  
munificencia sua hanc scholam fouet, &  
liberalium disciplinarum clementissi-  
mus Mecænas est.

Gratias etiam ago Magnifico D. Re-  
ctori, Comitibus, & Baronibus, Do-  
ctoribus & professorib. Inprimis uero  
Reuerendissimo uiro D. Doctore Ioa-  
hanni Bugenhagio Pomerano, socero  
ac patri meo carissimo, qui me a puero  
usq; paterna beneuolentiâ complexus  
est,

est, iuuit, & prouexit. Huius in hac  
honestissima pompa conspectus &  
præsentia, non minus grata mihi est,  
quam Epiminundæ, qui hunc præci-  
puum laborum suorū fructum se per-  
cipere dixit, quod parentes gloriæ suæ  
spectatores habuisset.

Ago deinde gratias clarissimo  
D. præceptori pro innumeris benefi-  
cijs, reliquisq; Præceptoribus &  
collegis meis, qui me socium sibi &  
συνεργόν aliquot annis esse uoluerunt,  
meq; omni officio & obsequio prose-  
cuti sunt.

Omnibus deniq; Magistris, Nobili-  
bus, & alijs honestis uiris ac hospitijs  
bus, qui ad ornandum hunc honestissi-  
mum congressum & declarandæ be-  
neuolentiæ suæ erga me causa, huc  
conuenerunt, Quibus omnibus &  
singulis pro hoc officio perpetuam  
gratitudinem meam & in omni gene-  
re studij promptissimam paratissimamq;  
& uoluntatem defero, Deumq; ardentibus  
tibus

tibus uotis precor, ut pulsis ac fugatis  
bellorum furis, hanc aeternam mediocriam  
Ecclesiae & reipublicae concedat,  
faciatque ut quod belli calamitas  
introduxit, hoc pacis lenitas  
sopiat, ut Imperatoris Iustinae  
ni uerbis

utatur.

**DIXI.**

**Gra**

GRATVLATIO PRÆ  
STANTI VIRO M. GEORGIO CRA-  
couio Genero Reuerendi uiri, D. Doctoris Iohan-  
nis Bugenhagen, Ecclesie Vuitebergensis  
Pastoris, scripta cum ei gradus  
Doctoratus utriusq; Iuris de-  
cerneretur.

Autore

HIERONYMO OSIO.

Rerum cunctarum miri Deus ordinis autor,  
Ordine legitimo qualibet acta probat,  
Signariq; gradu certo mandauit honores  
Et celebri magnos laude uigere uiros:  
Vnde iubet positæ, petere ardua præmia, palmæ  
Quos efferre suum nomen ad astra iuuat.  
Namq; humiles uelati superemimet alta myricas  
Arbor, odoriferis pulcra uiretq; comis:  
Sic aliquando uirum reliquis præstantior unus  
Exerit ingenio nobiliore caput.  
Dignus is ornari, uiridi, me iudice, lauro,  
Et titulo clarum nomen habere fuit.  
Talis es eximia præstans uirtute Cracoui,  
Magna tibi ingenio est gloria parta tuo:  
Dignus es ut circa tua tempora laurea serpat,  
Doctorisq; sacro nomine clarus eas.  
Et tibi leta canit Respublica tota triumphum,  
Ipsa tua, quoniam sepe fruetur ope:

E Expedis

Expedis ipse graues dum causas ore disertō  
Fersq; patrociniū pondera magna tui.  
Et dum Principibus peragenda negotia summis,  
Ornas eloquio sepe iuuasq; tuo.  
Digna uiro grauitas, qua tu seruire gerendis  
Rebus, & optatam ferre putaris opem.  
Ergo quod instituis tibi dextera fata secudent,  
Fiat ut æterni nominis instar opus.  
Teq; propago senem, uideat longæua parentem,  
Cum quibus o foelix uiuat uterq; parens.  
Atq; suæ sobolem generet uirtutis alumnam,  
Æternum celebret quæ pietate Deum.  
Quæ patris exemplo clarescere nomine possit  
Æmula laudati, turbaq; uiuat, aui,  
Qui dum sacra cibi cœlestis semina spargit  
Leucorea cupido Pastor in urbe gregi,  
Dumq; senex uenerandus obit pia munia uerbi,  
Saluificæ fidei dogmata sacra docens:  
Relligionis adest non hoc reuerentior alter,  
Nec qui corde magis sit pietatis amans.  
Cui Deus ô uitam Pylios producat ad annos,  
Cum tota, incolumis uiuat ut ipse, domo,  
Viuificaq; diu commissum uoce gubernet,  
Aduersusq; lupos protegat ore, gregem.  
Aq; suo uertat metuenda pericula cœtu,  
Et precibus flectens & pietate Deum,  
Qui tali socero te dignum clare Georgi,  
Cum sobole & casta coniuge quæso regat.

## ALIUD CARMEN.

Est prope cœruleas undas stagnantis Elistri  
Parua, sed irriguis florida uallis aquis.  
Quam tenuis modico circumdat flumine riuus,  
Qui uiridem rauco murmure pulsat humum.  
Non locus ad nigrum formosior extat Elistrum,  
Qua Boreas gelido sæuus ab axe uenit.  
Parte una teneræ pandunt sua brachia syluæ,  
Ligna; dant tepidis materiemq; focus.  
Parte alia grauido turgent de palmite gemmæ,  
Plena; purpureo subrubet uua mero.  
Hic ego dum spacios nemoralibus abditus umbris,  
Torrida cum sitiens finderant arua canis.  
Atq; graues uoluens mœsto sub pectore curas  
Expendo patriæ tristia fata meæ.  
En mihi sese offert diuo pulcherrima uultu,  
Omnia distribuit quæ Dea lance pari.  
Quam non conspicuo formosus Lucifer ortu,  
Aurea nec roseo uicerit ore Venus.  
Illa tenens dextra gladium lance; sinistra,  
Queis lus imperij temperat omne sui.  
Pone metum uates, nec enim licet arma feramus,  
Horrida nos tecum bella geremus: ait.  
Illa ego sum, totum moderor quæ legibus orbem,  
Et populis trado lura seuera meis.  
Præsida me cultas floret pax alma per urbes,  
Seua; suppresso prælia Marte silent.

Et quæ civilis sunt, propugnacula coetus,  
Leges cum uera religione uigent.  
Heu mihi sed duris quam nunc exercita fatis,  
Damna sub indigna tristitia sorte fero.  
Nam licet ampla feram communi commoda uitæ,  
In toto inuenio uix tamen orbe locum.  
Quæq; feror legum Mater ueneranda sacrarum,  
Nunc queo uix nomen sustinuisse meum.  
Exulat, heu scelus, ingratas Astræa per urbes,  
Vlla nec utilibus legibus aula uacat.  
Erga etiam tristi Germania mota tumultu,  
In sua conuertit uiscera cæde manus.  
Et ruptis pugnant inter se legibus urbes,  
Aduersiq; gerunt mutua bella duces.  
Tristeq; turbato squallet nunc iure tribunal,  
Et uix ulla queunt mœnia pace frui.  
Sed tamen hæc casus releuant solatia nostros,  
Quod datur in mœstis uiuere posse Scholis;  
Quæ mea flent mecum lacrymosis fata querelis,  
Ac aliqua fessæ dant statione frui.  
Hic sono sacrarum diuina oracula legum,  
Res quarum placida publica floret ope.  
Vnde recognoscat studijs addicta iuuentus,  
Informet mores qua ratione suos.  
Vtq; queat fontes legum compescere pœnis,  
Ciuita pro trepidis armaq; ferre reis.  
Hic etiam quotquot studijs mea castra sequuntur,  
Præmia iustitiæ non moritura manent.



Hos nam Calliope Daphnea fronde coronat,  
 Atq; finit doctos inter habere locum.  
 Sic ubi cras celsum formosus scandet Olympum  
 Phœbus, & in niueis æthera carpet equis.  
 Purpura Cracouium summi uelabit honoris,  
 Sunt ubi Leucorea culta Lycea schola.  
 Cracouium quo se Pomerania diues alumno  
 Effert, & tantum gaudet habere decus.  
 Cui dedit egregium rerum prudentia laudem,  
 Qualis honoratis debet inesse uiris.  
 Cui sua certatim sacra præconia Musæ,  
 Sertaq; de lauri fronde gerenda ferunt.  
 Ingenuas etenim præclare intelligit artes,  
 Cognitio quarum sternit ad astra uiam.  
 Nec facunda deest illi. quoq; gratia linguæ,  
 Seu cupit Argolico, leu Latio ore loqui.  
 Ergo ubi Doctorum toto comitante senatu,  
 splendida cras templi limina Craco petet,  
 Ipsa nouum titulum confirmatura gradumq;  
 Istius fiam pars quota magna chori.  
 Tu quoq; Iessenses quamuis summotus ad oras,  
 Leucorea hæc coram cernere in urbe nequis:  
 Hic tamen ut debes, pro caro uota patrono,  
 Atq; piæ placida suscipe uoce preces.  
 Namq; suum studium tibi pollicitusq; fauorem.  
 Præstabit promptam, quam cupis, unus opem,  
 Hæc ubi fata fuit, paribus se sustulit alis:  
 Exhiberant animum nuncia uerba meum.

Ergo rubescenti cum cras nitidissimus ortu  
Lucifer Eois efferet ora uadis,  
Aonius merita tua cinget tempora Lauro,  
Pegasei fontis gloria Craco, chorus.  
Quæq; tui ingenij præstanti laude mereris,  
Præmia uirtutis non moritura feres.  
Fallor an aërijs sub turribus æra dedere,  
Tibiaq; & rauca tympana uoce, sonum.  
En ueneranda coit Doctorum turba uirorum,  
Quæ sacro Musas ex Helicone uocat.  
Quæq; nouenarum sectatur castra sororum,  
Omnis in occursum leta inuenta ruit.  
Ardua solenni Pompa mox templa petuntur,  
Inclita Saxonici qua patet aula Ducis.  
Hic ubi consueto sunt singula more peracta,  
Et pia cum precibus uota soluta Deo,  
Tota tibi meritos præsens decernit honores,  
Inq; tuas laudes plaudit ouatq; schola.  
Pieridum cultos quæ te deduxit in hortos,  
Et uerum ad Musas dux patefecit iter.  
Ipse etiam pietate simul, uenerandus & annis,  
En tibi declarat gaudia quanta Socer.  
Pectore constanti qui Christi dogma professus,  
Illius partas sanguine pascit oues.  
Is geminas tendens ad lucida sydera palmas,  
Optat ut iste tuus sit tibi faustus honor.  
Cum quo coniungunt omnes sua uota precesq;  
Pegasei quotquot numina fontis amant.

Nos quoq; quos nigri fouet umbra salubris Elistri  
Dictaq; Iudæo nomine Iesse tenet:  
Nos placida letum canimus testudine carnem,  
Et tota festos ducimus urbe choros.  
Nam postquam naeta est facilis te nostra patronū  
Musa, patrociniū floruit aucta tuo.  
Vive, ualeq; diu, uicturis digne Cœmenis,  
Multis ut possis consuluisse, Vale.

VII. Idus Augusti.


M. D. LIII. Iesse.

Andreas à Berg  
Hallenfis.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VII. 1848  
M. D. 1848

Handwritten text, possibly a signature or date.



XVI, 6



Disiam igitur Pythades  
reges 2<sup>do</sup> gradu.

Pythades ex Amphibia sorore Aegae  
Strophius  
Crisus  
mementis.

Adlegat  
XVI, 4-6

